

Refutatio in formationis Gedanen. Dñis Commissa,  
r̄is ab Elbingensibus exhibita.

Quae et coram nuper et scripto, de instituto liberae negotiationis An-  
glicanae exercitio R. C. M. et G. Dñis Vris propositum, ea cu-  
et paulo prolixiora et à R. C. M. ac G. D. Vris proculdubio sa-  
tis percepta sint, minimè repetenda iudicamus. Jam Quia R. C. M.  
ac G. D. V. per Magnum Dñm Oratorem Sereniss: Reginae  
Angliae illa etiam nobis communicari benignè voluerunt, quae hiesferno  
die à Vicinis nris Gedanensibus aduersus eundem comerciorum usum et  
articulos mutuo consensu conceptos, diuersis scriptis, oblata sunt, gr̄as  
q̄dem eisdem de benignitate ea magnus agimus. Verum optarem tan-  
tum nobis temporis ad respondendum suppetere, quantum illis ad me-  
ditandum et proponendum fuisse uidetur. Quo quia excludimur: ipsi,  
us causae aequitas primum nos solatur: deinde R. C. M. et G. D.  
Vrarum benignitas, qua freti, quod haec nobis arguscia negauit, sarciri  
posse confidimus.

Intelleximus uero duo potissimū causae fundamenta Velut axiomata  
quaedam à Vicinis nris Gedanensibus ad subuertenda comerciorum An-  
glicanorum exercitia posita afferri. Vnū quod ea res ad infringendas Ci-  
uitatum Vicinarū Prussiae libertates spectare, alterum quod detri-  
monta uniuerso Regno maxima allatura putetur. Quibus positis, illi,  
plura etiam inconuenientia in consequentiam asstruere non ueren-  
tur, quae tamen à re ipsa et à gente illa sunt alienissima. Quibus  
fundamentis conuulsis ea q̄q̄, quae inde extruere uelle putantur,  
facile concidere arbitramur. ~

3. Naniquod ad fundamentum seu caput in hac causa constitutum  
asperendum offertur, de prima et genuina quadam negociandi li-  
bertate, eam potius ex ipso iure gentium antiquissimo, et ex sta-

tutis et libertatibus singularum Ciuitatum, quæ priuilegijs Prin-  
cipum à quibus concessa sunt, nituntur, et uelut leges quædam  
municipales sunt, quam ex recepta consuetudine aliqua origi-  
nem suam ducere atq; pendere censemus. Nam cum Commerciorum  
iuris etiam iure gentium liber sit, & Statuta uero Ciuitatum pro  
cuiusq; comoditate et rone fiant, et nunc augeantur, nunc mi-  
nuantur, prout cuiq; commodum ac bonum uisum sit; non hæc sa-  
ne generali quadam consuetudine gemina, sed iure ac more q-  
dam municipali censi uidentur, cum qd leges possunt, idem  
possint et Statuta. Et sicut per leges prohiberi alienatio in  
non subiectos, et onera subeuntes, commercium item certarum rerum,  
et alienatio ac translatio domini prohiberi potest, ita et per  
Statuta. Jam penes quos Statutorum condendorum ius est pe-  
nes eosdem et potestas est ea ipsa ex utilitate et comoditate  
Ciuitatum metiri atq; immutare. Neq; tertius quispiam in lo-  
co alieno sine eius, qui iurisdictionem tenet, Voluntate et autho-  
ritate, ius sibi aliquod acquirere potest. Nametsi uero Elbin-  
genses ab antiquo Gedani, et in tota ea ditione peculiare ius  
quoddam liberè negociandi ex priuilegijs Principum magno  
partis acquisierint, non tamen propterea Gedanensibus et alijs  
idem Elbingæ competere, aut constitutum esse concedunt,  
nec re ipsa doceri poterit. *N*

2. Qua autem rone ipsis etiam Anglis olim et in Prussia Ciuitatibus et  
alijs Ansais, liberum usurpatumq; fuerit, non cum Ciuibus tantum,  
sed etiam cum quibuscunq; negociationes exercere, de quibus Traiecta-  
na concordia meminit, et ad priora item atq; antiquiora Priuilegia  
de libero intercurso sese refert, id cum Sereniss: Reginam Angliæ con-  
cernat, uel ipsa uel Orator illius suo tempore et loco ostendet. *N*

3. *A* quum quidem est, sua cuiq; Priuilegia modò legitime ijs utatur salua esse.

Ita optarem etiam Ansavorum Privilegia, quae in Anglia Regno olim præclare parata fuerunt, etiam nunc sicut ad antiqua conservari. Verum quorum culpa acciderit, ut eorum iam usus, vel negetur vel in desuetudinem abierint, nemo rectius norit, quam ipsi adeo Gedanenses, et qui visdem consensu sunt, atque ipsorum complices: quibus hoc ad posteritatem omnem excusandum relinquimus. Atque haec de primo axioma respondisse satis est.

4. Sequitur iam caput seu fundamentum alterum, quae in commoda, quae ad ineluctum Poloniae Regnum ex concessa Anglis ea commerciorum libertate redundare putantur, longo ordine recensentur. Ac primum quidem quam verè ac rectè insimulentur Angli, quod soli omnium commerciorum arbitri esse, et ea ad unicum locum, et solos Societatis eius mercatores asserere uelint, eorum quibus Angliae negotiationes probe cognitae sunt, sincero iudicio permittimus. Neque enim uel merces omnes totius Regni Poloniae et M. Ducatus Lithuaniae aliarumque incorporatarum ditiorum, ad has oras ac Ciuitates Prussiae multominus Elbingam peruenire possunt aut solent, neque si possint, tamen ad eas omnes comparandas Anglorum de Societate ea qui hic negociantur facultates omnes sufficere possent, quandoquidem praeter cineres picem aridam et liquidam, ceram et ligna, linum et cannabem, funes nauticas et id genus alia quaedam haud ferè quidquam nauibus suis in Angliam transportare soleant. Quas uero merces ex Anglia Regno asportant eas omnibus planè totius Regni incolis aduenientibus uenales exponunt.

5. De Societatis illius priuatis quibusdam constitutionibus ad ius fori non spectantibus, quae in reprehensionem uocantur, non deerit Magistro Dno Oratori et Societati, et iusta responsio atque causa reformatio, ad quam nos hoc loco referimus. Quod uero Angli mercium suarum domicilium non minus nunc Elbinga quam prius Dantisci figant, id quis merito reprehendat? cum nusquam eos rectius et libentius esse conueniat, quam quo et merces suas asportent atque deponant, et fortunarum suarum sedem figant, et quo Serenissimae Reginae uoluntas eos certis de causis ducat.

6. Non est à uero alienum, ut corpus aliquod Societatis de contractibus et rebus suis leges siue constitutiones aliquas sibi faciat, quibus qui eo continentur tanq̃ uoluntario quodam uinculo ligentur. Quod si uero etiam alij sese libera uoluntate sua eidem subycere uelint, quis uetet? cum hoc in cuiusq; libero arbitrio positum. Non tamen se hæc notio in mutuum extendit, multo minus in eas causas quæ ad legitimum et ordinarium Iudicem cui quisq; sub est, pertinent.

7. Miramur uero Gedanenses qui negociationum non suarum tantum sed et vicinarum ueluti censors quidam haberi uolunt, non hic considerent quæ Anglorum negociatorum conditio sit, qui ut plurimum suas tantum merces in has terras asportare et ex yisdem disfractis alias comparare atq; naves Anglicas onerare soleant. Quæ cambijs plane non conueniunt. Ceterum si rem recta secum uia reputare et in suos diligentius inquirere uelint, proculdubio comperient, non paucos Gedani reperiri, qui sui tantum quæstus grã, meliora quaq; numismata in extera loca et in Belgicum exportent, alia uero deteriora ibidem recusa minimiq; Valoris magno numero, non sine maximo detrimento publico reportent, adeo ut iam talerorum quorundam Valor uix septem grossos nostrates excedat. Qua re quam uniuerso Regno Polonia irreuerabile, prorsus damnum datur, satis explicari non potest. Quæ tamen censors isq; cum unde proficiantur, uel ex inscriptionibus facile uideant, Anglis imputare nõ ueretur.

8. Quod uero ex negociationibus suis Angli in his etiam locis, quæ suis mercibus frequentant, sua uicissim commoda legitime comparare studeant, cum tanta nauigationum pericula tantis cum sumptibus subeant, minime illis uitio dandum est. Quod uero leges negociationibus et mercibus tam suis quas afferunt, tum alienis quas hinc exportant, præscribere dicantur, id num fieri ab illis et quomodo possit non sane uidemus. Cæterum quod prætia rerum pro temporum et locorum uarietate ac difficultate nonnunq; crescant, id cum alijs ex causis tum ex monete diminutione atq; detrimento fieri experimur.

9. Civitates quidem non maxime eas quæ negotiationum et navigationum commoditatibus gaudent, libertate etiam commerciorum præ cæteris maxime peregrinis fieri non esse iniquum, cum et onera ac munia publica præ cæteris subire cogantur. Ita uero libertas cum statutis singularum Civitatum pro auctusq; iuribus et privilegijs rogatur, et ad communem utilitatem referri debeat, cur pro temporum, locorum et hominum ratione et commoditate uex laxari uel restringi non possit. &

10. Cur navigatio externis Prussiae propter Anglorum libera commercia in frequentior reddi dicatur, non perspicimus, cum ea S. R. M. subditis non minus quam alijs dibus pateat, nisi forte propter uel temporum horum perturbationem et maris pericula, uel satis etiam transmarinis, quod plerosq; naues onerari solent extra Prussiam negatam exportationem, de qua uel ipsi Gedanenses sæpius conquesti sunt, ea minuatur. & &

11. Quod uero commoditates eas quæ ex Societatis huius Anglicanæ negotiationibus ad uniuersum Regnum et subditis illius plurimæ redeunt, tantopere eleuant, id tamen non dubitemus, quin Sereniss: Reginae Orator plenè prosequaturus sit, tamen hoc saltem cuiusq; iudicio expendendum relinquimus an non ubi mercium copia et cuiq; eas quocumq; uelit emendi libera potestas est, ibidem et commodiori precio eadem comparari possint ac soleant. Quæ uero commoda ad Elbingenses ex mutua negotiationum in Anglia libertate reditura deinceps sint, non attinet Gedanenses curiosos inquirere, potius qua ratione prius Stirarum libertatum usu careamus. Nobis quidem hoc maxime propositum est, ut libertate negotiationum concessa Civitas hac undiquaq; commercio hominum antea destituta, nunc uicissim frequentari et ad meliorem statum reduci possit. Commoditates autem eas, quæ ex libertate hac commerciorum Elbingæ et ad uniuersum Regnum et ad omnes et singulos eius Incolas redundant, plerosq; suo comodo

iam sentire et intelligere arbitramur, dum et frumenta ac merces  
suas quibuscumque velint, quancumque liberè dicendere, et quæ desi-  
derant, à quibuscumque pro commoditate sua parare emerere possint.

**I**tem Gedanenses vero dum Anglorum monopolium accusant, eosque mo-  
dis omnibus insectantur, et uicinos quibus cum sunt in inuidiam uo-  
cant, an non eo ipso nomine sese suspectos reddant, et privati com-  
modi studium suum nimis prodere uideantur, aliorum esto iudicium.

Nam dum omnes omnium mercium negotiationes ad se solos conuertit  
et ad unam Ciuitatem Gedanensem præ cæteris omne genus mercium  
ex Regno Suecici, ibidemque commerciorum cum trans marinis natio-  
nibus tanquam unicum horreum aliquod et publicam sedem collocare  
petunt: eamque etiam ob rem omne adeo Isthmum flumen miris arti-  
bus eo conuertere moliantur, non abs re monopolij speciem quandam  
præ se ferre, et omnium aliorum Ciuitatum ruinam secum trahere  
uidentur, quibus quidem incrementa sua et reliquarum negotiationum  
affluxum, nunquam sanè inuidimus, modo nobis illi non inuideant, hoc  
quod diuino et R. Mæ beneficiis et aliorum qui nobiscum esse uolunt,  
bona uoluntate et studio obtinere possimus. At sanè quod S. R. M.  
clementissimis promissis literis et responsis nitantur, id non iniquum est,  
cum ipsi etiam, ut par est, uerbis, literis et promissis Regis nihil  
sanctius ac religiosius habeamus. Verum quod liberam hanc Elbingæ  
concessam negotiationem sublaturum iri, et ad solam Gedanensem  
Ciuitatem omne genus negotiationum reduci sperant, in eo humilissime com-  
fidimus S. R. M. pro pari erga omnes et singulos subditos suos  
clementia Ciuitatis quoque sua Elbingensem non minus quam Geda-  
nensem rationem benignissimam habituram esse, cum liberam hanc com-  
merciorum rationem grauib; iustisq; de causis, consulto omnium Do-  
minum Regni consensu in Comitibus confirmari, et sereniss: etiam  
Anglicæ Reginae Subditisq; illius certam residentia spem, Elbingæ

28 clementissimè fecerit. Ac sane plurimum cum sua tam Regni uniuersi interesse pro sapientia sua Regia intelligat, ne una saltem ciuitas Regia, sed multæ floreant, et singulæ commercijs suis contineantur. Quandoquidem ad ferenda Regni et reip: onera pariter omnes ex æquo uocentur. Et quamuis aliæ alijs et magnitudine et potentia et opibus plus possint, ideoq; magis prestare teneantur. Quod uerò ad literas eas R. M. Vniuersales attinet, quas Gedanenses informatione quadam sua à R. M. minus pleni edocta obtinuerunt, quasq; Status terrarum ut pote lib: verbatibus suis consentaneas acceptasse, illi scribunt atq; magnopere urgent: eas primum negamus, ab Ordinibus hactenus Terrarum ita acceptatas fuisse, tanq; libertatibus et constitutionibus Terrarum omnino consentaneas, sed eatenus saltem quatenus constitutionibus ijs conuenirent. Par autem fuerat Gedanensium S. R. M. merito, tum illud constitutionum publicarum caput, integrè et non altera parte mutilatum proponere, nec aliena quadam interpretatione in diuersum sensum traducere. Nam cum id ipsum caput mercatores et præsertim peregrinos siue exoticos homines saltem in Villis ac Pagis negociari prohibeat, Gedanenses id ipsum non iam ad Villas et pagos, sed ad omnes adeò Ciuitates, et in primis quidem ad negociationum libertatem Elbingæ concessam sinistre contra mentem ipsius Constitutionis et Consiliariorum Terrarum, et contra ipsius etiam R. M. declarationem extendentes, detorquent, quum tamen sequentia Verba, quibus priora explicantur, merces omnes et res uendibiles in Ciuitatem iuxta ueterem consuetudinem duci et in foro publico, non in pagis uenales haberi iubeant. Neq; ullos mercatores nedum peregrinos à negociationibus in Ciuitatibus, sed in pagis ac uillis tantum, ubi mercatus esse nolunt, excludant.

Ideoque humillima et plenissima cum fiducia omnino de S. R.  
M<sup>te</sup> Domino nostro clementissimo id persuasissimum habe,  
mus, M<sup>tem</sup> suam quod semel maturo consilio omnibus Reg,  
ni Ordinibus, quorum ea res utilitatem publicam et commu,  
nem concernat, approbantibus constituit, id sancte conserva,  
turam esse.

Ex hac simplici et plana responsione  
nra R. C. M. ac G. D. Vra pro singulari pru,  
dentia et dexteritate sua perbenigne cognituras speramus,  
quam in firmis fundamentis et rationibus ea subsistant, quae  
a Vicinis Gedanensibus ad institutam Elbingae Anglicorum  
commerciorum libertatem ac sedem labefactandam et tollenda  
opponuntur, et quam illi omnia ad se comercia a Vicinis Ciuita,  
tibus omnibus contra contra communem et publicam utilitatem  
pertrahere studeant.

Quae ut R. C. M. ac G. D. Vra benignissimo iudicio suo  
recte ponderare, et apud S. R. M. D<sup>um</sup> nos<sup>trum</sup> Clementiss: et pub,  
lice totius Regni utilitati ac plurium potius quam unius Ciuitatis  
R<sup>ae</sup>: comodis ex aequo fauere, in primis uero Ciuitatis huius Elbinge:  
res concisas bonitate et patrociniis suo prosequi dignentur, qua par  
est obseruantia, maiorem in modum per quam demisse iterum iterumq;  
oramus. Quibus nostra uicissim gratiae mentis studia et officia pa,  
ratissimis animis deferimus et quibuscumq; possim rebus probare studebimus.

R. C. M. et G. D. V.

Adiudicissimi

Deputati Regiae Ciuitatis

Elbingen.